

Desiderius Erasmus Jehan Plouvier

**D. Eras. Roterodami De Civilitate Morvm Pverilivm Libellvs, Elegiaco Carmine
Redditvs, Ioanne Plouvier Flandro, Serenissimæ Hispaniarum Reginæ Annæ &c.
Pueris nobilibus ab œconomia & institutionibus grammaticis &c. autore:**

Pragae: Georgius Daczicenus, 1570

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1682059901>

Druck Freier  Zugang






3350

L 56

12 a. b.

1886

Eq-3350.
~~Co. II. f. 3094.~~



D. ERAS. RO.

TERODAMI DE CIVILITATE
MORVM PVERILIVM LIBELLVS,

ELEGIACO CARMINE REDDITVS, IOANNE

Plouvier Flandro, Serenissimæ

Hispaniarum Reginae Annæ

&c. Pueris nobilibus ab

œconomia & instituti

onibus grammati-

cis &c. autore:



PRAGÆ Excudebat Georgius

Dacvicenus. ANNO D O,

MINI. I. 5. 20.



ILLVSTRISSIMIS

PRINCIPIBUS, IOANNI AC SIGISMUNDO

Augusto, fratribus: Ioānis Alberti D. gratia Ducis
Mechapolensis &c. Detustæq; gentis Henetorum
et Vandalorū, Principis &c. Comitis schubirinæ,
& prouinciarum Rostock & stargard Domini &c.

filijs charis: Ioannes Plouuier flander, Serenissimæ Hispaniarū Reginæ Annæ &c.

Pueris nobilibus ab Oeconomia &
institutionibus grammaticis,

officij, obseruantia, ac

gratitudinis ergo

D.D. et dedit

cavit.

ITe mei volucres Elegi, properate volantes,

Adq; Mechapolicos nunc properate lares

Musa diu grauibus pergas distracta periclis

Aōnij lustrans, auia rura, chori

Des licet Eoa, lectos, de merce, lapillos

Nullos, Arabica aut stamina texta, manu

Pergas Musa rudis, patronum quære, timore

Deposito, clypei qui queat esse loco,

Inuenies summos Heliconidæ inter alumuas

Mechapoli à claro stemmate, vtrumq; Ducem

Ioannem, Sigismundumq; Augustum, fratres,

Ioanne Alberto principe patre factos,

A 2

Qui

Qui propria gaudent virtute excellere, quorum
Gloria nullius crescere laude potest,
Dum Patris, egregias virtutes, more sequuntur,
Defuncti vt possint munus obire Patris,
(Nestoreos superare cujdet Christus, & annos
In sano, Pylios, corpore perficerè,)
Qui virtute sua, summi meritiscq; parentis
Chari, vel possint perplacuisse Ioui:
Ergo agite eximij fratres, superate labores,
En quantum in vobis, quale recumbit onus,
Quoue estis nati patre, cuj succeditis, à quo
Acciti, tacita voluite mente, precor:
Quid dicam quàm vos, noster, post, gryphius, annos
Paucos (linguarum cognitione grauis)
Præceptor, gallam, flandram, Hispanamq; docere,
Et dextrè latiam quibit, & Italicam
Et qua cum summis, vobis, grauitate, vel imis
Formandus, fratres, sermo benignus erit:
In Summa, tantis vt nil Heròibus, vnquam
Optari quicquam vel queat eximius:
Laudibus excipiunt claris quos Vesper & ortus,
Officij et reddunt nomina plena suj:
Hos, Mecænatem solum, clypeumq; require,
Libera vt inuidiæ à moribus esse queas
Nec metuas ronchos, vel inanis scommata, vulgi,
Tantum clypeo, tegmine subq; Ducum
Condita disparibus numeris dum paupere manas
Vena, conatus pondere pressa tuj,
Quod potis es subigis, studiumq; fidemq; probata,
Adnisa officij debita per ficere:

Dūmq; tuis neruos addet conatibus, hoc est
Hoc præses cæptum quando probabit opus,
Scribere interis, summo, maiora, labore
Officij nec erit gratia clauda tuj.
Hoc modo (quod paribus scripsti sine legibus olim
Vnica laus patriæ Roterodame, tuæ
Quando rudes formas annos, tenerumq; puellum
Hunc et quid deceat, dedecea tue, doces)
Mnemosjn non grata vt dignentur fumere dextra
Hoc fratres, blanda voce precare prius,
Et xemj dones (quanq; reuocauit in orbem
Sese annus proprium haud) nomine quicquid
adest
Vltima sit nondum quanquam superaddita lima,
Ac imperfectum sit licet istud opus:

Excellentiarum V. adiectis.

Ioannes Plouuier

A. 3. PROOEMIUM

PROOEMIUM

Ad suos discipulos.

Diuinum, sese species conuertere in omnes,
Si Paulum minimè tæduit, & piguit:
Omnia quò possit fieri omnibus, omnia quæq;
Et pro posse suo commoda cuique daret.
Me quantò piguisse min^o modò debeàt ergo
Ad pueri rursus currere principia:
Vt pueri ingenium tenerum formare laborem,
Quod mihi Maiestas Cæsaris exhibuit.
Presenti hunc igitur librum peruoluite mente
Discipuli, & gratis auribus excipite.
Astrictum numeris nullis quem scripsit Erasmus,
Sed nos coniuncto, iussimus ire, pede.

NARRATIO

NARRATIO.

Diuisio instituendi pueros.

NE parui pueros formandi gratia fiat,
Que certis quatuor partibus. exprimitur.
Prima docet teneras addiscere femina mentes
Diuina, & Christum noscere principio
Proxima at ingenuas artes: & tertia tendit
Syncera ad uitæ munia, & officia.
Quarta (mihi modò quã de sumpsi) format honestos
Quos pueris mores maximè inesse decet:
Hoc quanquam ingenua ex nascatur mente decorũ,
Vt rectis per se moribus esse queat:
Fit quandoq; tamen, doctos ut pariter istac
Rideri videas parte: quid hic ratio est:

Preceptores mali.

Formantes animum quòd non coluère tenellum,
In morum iusta dexteritate prius.
Demus ut hæc sophiæ multò crassissima pars sit,
Sic nulla humanum est quæ iuuet ingenium.
Corpore, sitq; animo, sit cultu, gestibus atq;
Compositus: puerum quærit ubiq; modus.
Præcipuè vera laudandus nobilitate,
Qui colit ingenuis artibus ingenium.
Non qui pro clypeis Aquilas, rigidosq; Leones,
Siue Leopardos (arma superba) probat:
Sed qui tot iactat ueris pro insignibus arma,
Quot mentem ingenuis artibus erudijt.

A 4

Vt

Vt benè compositus animus pelluceat ergo,
(Qui primum in vultu conspiciendus adest.)

Oculi.

Sint oculi placidi (non torui) compositiq;
Sintq; verecundi: nulla sit improbitas.
Neue vagi nimium, insanam promittere mentem
Quod solitum est: limos nos quoq; despiciamus:
Hi meditantur enim insidias: nimium nec aperti,
Stultorum siquidem consonat ingenio.

Palpebræ.

Ne palpebra frequens conniueat, aut gena, ferre
Præ sese inconstans hoc solet ingenium.
Ne stupeant, nam hos attonitam promittere mentē,
Atq; acres, iram, chare puelle, scias.
Innuē nec nimium, nimium neue hisce loquaris,
Hac lædis veram parte pudicitiam.
Ast animum referant oculi reuerenter amicum,
In vultu sedem deligit ingenium.
Dedecet alterutro quenquam spectare recluso
Vultu: sit Thynnīs, mos sit & iste fabris.

Supercilia.

Esto supercilium memor vsq; exporgere, noli
Tollere, sic fastus sæpe subesse solet.
Neue hæc adducas, sictorius diceris esse,
Nec preme, sic, falsum qui meditantur, habent.

Frons.

Expianata

Explanata tibi, atq; hilaris frons, prodere mentem
Securam, gratum debet & ingenium,
In rugas non sit videas contracta seniles,
Decrepitis senio, pulchrius illud erit.
Absit torua etiam, qua taurus gaudet: Echino
Mobilis hirsuto seruiat, & maneat.

Nares ac Nasus.

Ne tumeant, caueas, Nares, mucore repletae,
Sordities magni Socratis illa fuit.
Rustica simplicitas, si vestem, pileolum ue,
Mungendis sumas naribus, esse solet.
Si cubito facies, salsamentarius esto,
Et digitis mucum dedecet excipere.
Vngatur subito quod si tua vestis eodem,
Excipias strophio quod superesse pudet.
Idq; tuo verso paulisper corpore, si quis
Adsit, quem dignum credis honore graui.
Si quid humi, Nares post munctas, forte putebit,
Protritum subito calcibus illud erit.
Cum sonitu spirato tuis ne naribus, illud
Indicium bilis decier esse, putes.
Atq; minus credas, ronchos emittere, pulchrum,
Vfus si docuit: sic furiosus agit.
Naribus & vocem qui dat, ridemus ineptum,
Hoc faciat Tubicem, sicq; Elefantus agat.
Irrisor nasum (tu non) & fannio crispant,
Scurrili hæc igitur linque, puelle, gregi.

Sternutatio.

A S

Laudis.

Laudis erit, coram si sternutatio quodam
Incidat, auerso corpore perficere.
Et vbi voca lis sese impetus ille remittet,
Os signet sacræ crucis imago tuum.
Ac capitis tandem nudato vertice, grates
Cum grata pariter redde salute, puer.
Si studio vocis tinnitum inteudere pergas,
Aut iteres, Nugo nomen habeto tuum.
Si sonitum reprimas, quem fert natura, putato,
Quòd tibi non paruo pœnitet illud erit.

Malæ.

Natiuus malas, pudor in genuus q̄ coloret,
Legitima fucum ne ratione probes.
Ne pudor ille tamen, caueas, fiat,
Nec stupeas, quasi sis modò mentis inops.
Huic morbo discas facili ratione mederi,
Ee tenui, doctus, perge labore, puer.
Inter maiores tenero verferis ab vngue,
Excolat & mentem scæna, puella, tuam.
Indicium fastus, buccas inflare, putatur,
Despondens animum, deprimit ille suas.
Os nec comprimito, metuens haurire putentem
Auram vicini: nec nimis illud hiet:
Stultorum proprium: sed mutua basia donent
Labra, quod in pulchro corpore forma petit.
Nec sit porrectis pulchrum popysina labellis
Reddere, magnatum quod magis esse solet:
Qui sibi desumunt animo quodcunq; placebit,
Formantur pueri, non modò nobilitas.

Oscis

Oscitatio.

Auerti si non, vel non discedere detur,
Ac sternutandum sit tibi fortè, puer:
Os dextra, strophionè tegas, sed imagine sacræ
Obsignare crucis tu memor esto prius.

Rifus.

Omnibus arridens dictis, factisue, putatur
Stultus: qui nullis, sit stupidi ille loco.
Qui risu, obscænè dictum, factumue, placere
Comprobat, is nequam est, nequitiaeq; comes:
Sit turpe immodico, quassari, corpora, risu,
Atq; cachinnari, ne minus esto tibi.
Hinnitu pariter pulchrum ridere, negamus,
Corrugata vel est si tibi bucca, puer.
Si nudet dentes risus, dicere caninum
Edere, Sardonius dicier ille solet.
Ast nostris hilarem monitis sic exprime vultum.
Qui non deformet corporis effigiem.
Stultorum voces sunt istæ: diffluo risu,
Rifu dissilio, dimoriorq; graui.
Sed si iusta tibi risum res excutit, illum
Ori, dissimulet, dextera mota tuo.
Solus, legitima vel si sine, riseris, ansa,
Insanus, saltem vel mihi stultus eris:
Si quid tale tamen fortè exoriatur, honestum est,
Ut socijs mensæ causa relata fiet.
Sed si proferri non debet, fingito honestum,
Rideri ne se cætera turba putet.

Labra.

Labra.

Inferius labrum superis mordere, vel imis
Dentibus e contra: scito minantis opus.
Lambere labrorum oras, linguaq; voluta,
Ingenij credas esse nec ingenui.
Porrectis labris, & tanquam ad oscula promptis,
Germanus blandum pinxerat esse fauor.
Annuimus: Sed qui porrecta irriferit altrum
Lingua, scurriles induit ille habitus.

Sputum.

Ne quem conspergas, auerso corpore, quicquam
Si superest, spuito: protere calce tamen.
Hinc ne cui forsansit nausea mota: sed hoc si
Non liceat, mundum seruiat hinc strophium.
Sæpius absurdum sorbere, putato, saliuam,
Vel, quod si, quæq; ad tertia verba, spuas,
Sunt, tussire frequens quibus est pro more, loquen
Inter, non quod ibi seria causa subest: dum
Hoc faciat mendax, responsum pectore voluens,
In promptu est quod non reddere sufficiens.
Neue putes, ternum ad sermonem quemq; licere
Eructare tibi, dedecet hoc etenim.
Et si quis teneris illud consuescat ab annis,
Ætas posterior, dedidicisse nequit.
Si debes tussire, tui ne læde sodalis
Os, nec naturam vincere velle stude.
Vrget si vomitus stomachum, diuerte parumper,
Nobis non sordens, sed nimia ingluuias.

Dentes

Dentes.

Mundiciem cura dentum, nec candidet illos
Puluis, foemineus quem sibi sexus habet.
Absit sal, vel alumen in hoc: gingiua repugnat,
Sunt illi hæc etenim perniciofa nimis.
Utitur vrina, dentes loturus, Iberus,
Cui nos in tali cedimus officio.
Non tibi cultellus, non vnguis, si quid inhæret,
Eximet, hoc feli linquimus, atq; cani.
Nec mantile leuet, lentifeci sed tibi cuspis,
vel penna, aut volucris seruiat ossiculum.

Os.

Os si mané tuum lotum sit purius vnda,
vrbanum credas, atq; salubre magis.

Coma.

Rusticus impexis incedit crinibus: adsit
Mundicies: nitor hinc si muliebris abest.
Hinc procul este, pedū numero qui nomen habetis,
Ac lendes, horum semina, turpe genus.
Turpe putes alijs coram caput vsq; fricare,
Nec reliquum corpus, qui scabat vnguis, erit.
Ne crines frontem operiant, humeriq; grauentur
Iisdem: concusso hos vertice nec quaties.
Hoc sit cornipedis generosi, sitq; superbi,
Vno qui assuevit vix bene stare loco.
Cæsariem læua torquere à fronte pudebit
In capitis summum: discriminare licet.

Cervix.

Ceruix.

Pigritiæ argueris ceruicem, rustice, flectens,
Adducens scapulas, pigritiæ argueris.
Molliter incedas erectus, consulo, namq;
Argueris fastus, si resupinus eas.
Nec læuum ceruix, dextrum neue occupet armum,
Illud hypocriticæ condicionis erit.

Humeri.

Componas humerum iusto libramine vtrunq;
Ne nimis attollas, ne nimiumde premas.
Antennæ hoc faciunt, zephyro spirante, repleuit
Quando sinus vento, & cornua bina, suo.
Hos siquidem gestus neglectos (tempore tandem
Qui sunt habitus) flectere nemo potest.
Nam diuturna dies, naturam mutat in ipsam,
Ac informe manet, quod fuit ante bonum.
Sic qui desidiæ causa sunt flectere corpus
Assueti, gibbum progenerare solent.
Quiq; caput partem consuêrunt flectere in vnam,
Nulla mutabunt hoc ratione viri.
Sunt etenim arbustis, tenerisq; simillima plantis
Corpora, quæ mollis forma paterna creat.
Quæ facili poterit dextra qua flectere tentet
Altior, quæq; placet forma parata patet.
Agricola vt species potis est deflectere in omnes
Vlmum, vel furca, funiculoûe, sagax,

Brachia.

Ne

Ne simul in tergum detorque brachium vtrunq̄,
Pigritiæ speciem, furis & illud habet.
Alteta nec manuum, sed eas modò stesde, quicscet
In dextra, aut læua parte tui lateris.
Militat hoc quamuis, pulchrum multiq̄ putabunt,
Thraſonum vitæ, moribus atq̄ pares.
Sed non quod stultis placuit mox fiet honestum, at
Quod natura volet, quod ratioq̄ petet:
Membra, quibus natura dedit syncera pudorem,
Detegere, ingenuæ haud indolis esse puto.
Si tamen hîc vrget, si te moueatq̄ necessum,
Et si testis adest nemo, decenter age.
Angelicum credens numerum vigilare puellōs,
Atq̄ Pudicitæ frena tenere tuæ.
Quorū autem est oculis vultum subducere castū,
Tangenda hæc alijs esse putato minus.

Vrina.

Vrinam prudens (nocet hoc) ne comprime, reddas
Arcano, nacta commoditate, loco.

Ventris flatus.

Sunt, qui præcipiant posticum claudere, parte
Ne ventum à pueri posteriore ferant:
Nec ciuile puto, morbum conflare volenter,
Qui plusquam vrbanis moribus esse cupit.
Si poteris, secede puer, si non datur, alui
In crepitum tussi, dissimulato, tuæ.

Pedum partes.

Diductis

Diductis genibus, pedibus ūe federe reflexis,
Stare vel attortis Thraſo ſuperbe ſoles.
Si ſedeas, genua ambo ſibi coeuntia flecte,
Si ſtes fac, coeat pes tibi vterq; tuus.
Altera, te pudeat, ſi tibia pendeat vni,
Quando fiet ſtandum fortè puelle genu.
Compoſitis alij pedibus: ſordebit vtrunq;
Anxius hoc, faciet ſordidus illud enim,
In læuum quondam femur inieciſſe feruntur
Sceptri geri dextrum (quod modò turpe) genu
In flectendo pedem, eſt hominum ſententia diſcors,
Hoc cupit hæc, aliud gens peregrina cupit:
Hæc flectit dextrum, curuat gens altera læuum,
Tertia procumbens flectit vtrunq; genu.
Ergo meo liceat ſe flectere cuiq; favore,
Vt volet, ac patriam quamlibet in ſequietur.

Inceſſus:

Nec tibi ſit præceps inceſſus, nec tibi fractus,
Hunc furioſe tibi, mollis habeto alium.
Stultorum pedibus ſit ludere, quando ſedetur,
Nec manibus prudens geſticulare tuis.
Arguit inſanam mentem, mos iſte petulcus,
Et merito ſuccos expetit Anticyræ.

DE CVLTV.

Muſa rudis cecinit, quæ corporis eſſe putamus,
Hactenus, vltèrius pergere concipimus,

Aggreſſus

Aggredimur cultum, qui corpus corporis esse,
 Ex magna dici sat ratione potest.
 Ex quo habitum mentis concludi posse putamus,
 Ac animi formam posse patere satis.
 Non tamen vt certam credam prescribere formam
 Quenquam quod nullum fecerit ingenium.
 Non fauet ex æquo cunctis fortuna, nouercam
 Se præbet Titio, Publico amica magis.
 Amplior huic census, varijs est dignior alter
 Rebus, sic rectum nil modò mundus habet,
 Laudantur cunctis eadem non semper in oris,
 Quodq; modò arridet, displicuisse putes.
 Quapropter tribui *καίριον κωλύειτο νομίζετε*
 Debet, si vulgi verba sequenda velis.
 Attanem est quæuis quod honestum natio sponte
 Obseruat propria, sic quoq; quod reprobat.
 Est huiuscemodi, quod nullum continet vsum,
 Vtpote cui vestis prima reperta fuit.
 Prolixas, risudignum est si foemina caudas
 Ducat: quemq; virum dedecet illud idem.
 Masculeo procul à sexu sint, foemineoq;
 Multitia, vtrumq; hic dedecet vsus enim.
 Qui tibi quippe tegat, quæ offendūt lumina, quæq;
 Virgineos oculos lædere posse putes:
 Discinctum veteres habitum spreuere, virile
 Credentes parum, semi viroq; dari.
 Vertitur id vitio nulli, prout tempora nunc sunt,
 Laxa tibi vestis membra pudenda tegit.
 Ast inclinantem, breuior quam contegat, illam
 Spernimus: est nulli hec (credite) honesta loco
 B Præsentis.

Præsentis si non animi uis dicier esse,
Hanc discinde: nec hæc uersicoloris erit.
Arguit hoc stultum, gestat uel Simia tale,
Nobilibus, gregis hoc, qui famulantur, erit.
Ergo modus qualem concedit diuitiarum
Sit tibi: primatus ceditur utq; locus
Conformis patriæ: uideas ut munditiemq;
Obserues: fastum, luxuriemq; fuge.
In teneris quadrat, cultus neglectior, annis,
Nos tamè immundum hos nolumus esse genus.
Interulam, aut uestem, caueas, aspergine tingas
Vrinæ, aut nasi, brachia purè lînas.
Sunt quibus alterutrum uestis dependet in armû,
In tergum ad renes defluit usq; alijs.
Corporis utq; habitum tótum mundum esse, decetq;
Compositum, membris congruat ille suis.
Egregia si te dotârunt ueste parentes,
Inflexis oculis hanc tueare, caue.
Gaudensq; ostentes, sic se se, pauo superbus
Aspicit, idq; facit Simia, more suo.
Quo fortuna tibi spirabit lautior, hoc sis
Semper amabilior: nec tibi complaceas.
Hoc inopes faciant potius, solatia dantes
Inde sibi, ac mentem sic recreare queant.
Siq; sui ostentat splendorem, diues, amictus,
Inuidiam conflans, exprobat illum inopi.

DE MORIBVS IN TEMPLO.

Esto

Esto memor nudare caput, sit ianua templi,
Docte puer, quoties prætereunda tibi.
Ac genibus flexis, uultuq; ad sacra, saluta,
Conuerso, Christum, cum grege coelicolum.
Idq; minus nec tu obserues, sit in vrbe, uel agro,
Obuia si quando fiat imago crucis.
Id facias quoties sacram transire per ædem
Continget, Christum ac inuocitato Deum:
Ast utrunq; genu flectens, & uertice nudo,
Si uis ingenuus dicier esse puer.
Corporis ac habitum compositum ad religionem,
Presbytero sacra si concelebrantur, habe.
Christum præsentem perpedens illic adesse,
Cingere eum sacri ac milia multa gregis.
Nobilium accinctus numero, procerumue corona,
A quodam si Rex conueniendus erit:
Ut duntaxat homo, faciens hoc uertice tecto.
Nec genibus flexis, non bene sanus erit:
Quale putès ergo, tectum consistere, honoris
Signaq; nec flexo iusta dedisse genu:
Est ubi largitor uitæ, rex ille perennis,
Ac immortalis, qui dare cuncta potest.
Quem uenerabundus circumstat spiritus amplo
Aethereus numero, coelicolumq; chorus.
Hos quanquam tu non uideas, conspectus ab illis,
Corporis illa fides, quæ tibi mentis erit.
Certius humanis oculis, nam lumina mentis
Cernunt, maiorem his ergo adhibeto fidem.
In templo caueas deducere obambula sacro,
Atq; minus merces prostituisse tuas.

His tibi rura putes bene conuenientia, vel sint
 Porticus, atq; forum, commodus hisce locus.
 Namq; sacris precibus sunt templa dicata, sacriq;
 Præconem verbi qui vigilanter obit.
 Hunc oculi attenti spectent, hunc auribus audi
 Arrectis, animus totus in hunc inhiat.
 Ore velut Christi sint verba expressa tonantis,
 Humano ingenio aut, sed mediante Deo.
 Auscultans assurge, noui quum fæderis, alta,
 Aut pressa, flamen, nomina voce refert.
 Cumq; sacrosanctima recitatur symbolum, & ista
 Verba refert celebrans: Est quoq; factus homo:
 Temet submittens, geminum curuare memento,
 Eius honore, genu, qui tibi facta salus.
 In terras sese ex summo qui misit Olympo,
 Vt fieres liber, vincetus ab hoste, miser.
 Quiq; deus verus, mortalem assumere carnem
 Non renuit, fieres tu quoq; vt ipse, deus,
 Si peragit sacri, mysteria sacra, sacerdos,
 Officij, tota voluito mente deum.
 Corpore componas te toto ad religionem,
 Proponas aram luminibusq; tuis.
 Alterutro genuum terram contingere noli,
 Si facies rectè, fiat vtroq; genu.
 Sic Christum, illudens miles, saluere volebat,
 Dum foderet sacrum spina cruenta caput.
 Et reliquo sacrum peruoluas tempore librum,
 Aut mens cœlestes præmeditetur opes.
 Interea vicini aures onerare putato
 Esse eius, qui non credit adesse deum.

Huc

Huc, illuc, torqueus oculos, qui mente vagatur,
Non sani præbet pectoris indicium.
Necquiquam fructus te hinc accepisse putato,
Commoda nec menti crede tulisse tuæ.
Purior egressus nisi sis, meliorq; recedas,
Quam templum ingressus:

DE CONVIVIIS.

Accumbens: hilaris mensæ, petulantia cesset,
Nec tamen hanc adeas, ni bene lotus eris.
Curtatis q; prius ne sis *per vorare conditios* atq;
Vnguibus absctis: sitq; ibi mundicies.
Vrgentem vri nam prius exonerare memento,
Laxatoq; aluum, res ita si cupiet.
Strictius & cinctum pudeat ne soluere temet,
Turpius accumbens feceris illud enim.
Dumq; man' mundas lymphæ, simul abijce, quicquid
Pectus contristans, aggrauat ingenium.
Nam lætum cupiunt animum conuiuia, tristis,
Mœroris signum testificare tui.
Contristans alios, qui mensa vtuntur eadem,
Ac hilares iussos symbolo adesse tibi.
Si iussus for san mensæ benedicere, vultus,
Atq; manus, referant relligionis opus.
Primatem spectans mensæ, vel i ma ginem Iesu,
Aut matrem, quod si hos picta tabella refert.
Ad Christi flectens, matris vel virginis, altrum, aut
(Augustum petit hoc nomen) vtrumq; genu.

B 3 Hoc

Hoc si cui fuerit commissum muneris, audi
Respondeq; pari relligione, puer.
Si quis forte tibi proponat sedis honorem,
Noli ambire, lubens quin mage cede alij.
Si tamen id crebrò grauior quisquã urgeat, exple,
Sitq; pudor, toties quando rogatus eris.
Accumbens utraq; manus imposito mensæ,
Coniunctim facias ne tamen, inq; quadra.
Nãq; unã, aut ambas gremio (sed turpiter) abdis,
Mensæ tibi cubitum sustineatq; minus.
Hoc faciant senio fessi, morboûe grauati,
Idq; in principi bus dissimulare licet.
Atq; caue, cubito uicinum offendere, neûe
Lædantur pede, si qui ex regione sedent.
Nunc his, nunc illis natibus nutare sedentem,
Est, uentris flatum reddere qui cupiet:
Aut actu reddentis eum: libramine corpus
Erectum iusto sit tibi, culte puer.
Si mantile datur, læuo suspende lacerto,
Aut humerus læuus muneris hoc obeat.
Cum grauibus quòd si debes accumbere, nudo
Hoc fac, & pexo uertice, cultus eris.
Ni mos diuersum regionis suadeat, aut sit
Amplø qui forsan nomine præcipiat.
Mos est nonnullis puer ut regionibus astet
Maiorum extremo mensæ (& honore) loco,
Vertice nudato: quò tu ne accedito, iustus
Ni fueris: finem nec remanere decet.
Et fatur accipias, sed flexo poplite, quadram, &
Primati, atq; alijs, fausta precare prius.
Cultellum

Cultellum, dextra, purgatum, & pocula fume,
Ad læuam panem, ritè locato, manum.
Cõprime ne palma tamè hunc, digitisde refringas.
Summis: delitiæ hoc, uitaq; lauta petunt.
Id facias cultro, non undiq; crusta reuellens,
Aut binum scindens: lautus habebis hinc,
Nam ueteres panem tractabant relligiose,
Ceui sacrum: mos hinc unde relictus adest:
Decidat ut quòd si forsan, terramq; retingit,
Ut soleant eidem basia grata dari.
Incipere à potu mensam, crede esse bibonum,
Quos non rere sitim sed premere arbitrium.
Quippe bibunt solùm consueto ex morte bibendi,
Non hinc naturæ ut fiat & inde satis.
Moribus hoc solùm nec res inhonesta putetur,
Quæ totum corpus lædit, & ingenium.
Post offam subito desumptam exiure, caueo,
Aut etiam sumpto lacte, bibisse: nocet.
Sit puero, quartũ (geminum nam sufficit) haustũ
Sumpsisse, (& sanum non satis esto) pudor.
At laxato sitim semel, ut sis tempore pastus
Nonnullò: mensæ finis & id faciat.
Nec plenis sorbe buccis, uel faucibus amplis,
Illud equus faciat, qui sine lege bibit.
Absint uina, puer, teneris quæ noxia membris,
Et liquor, offendens, acrior, ingenium.
Hæc etenim lædunt sanum, tenerumq; puellum
Deformant: senium dedecuisse sciens.
Vnda solue sitim, seruenti conuenit ista
Aetati: liquor aut seruiat huic tenuis.

Nullus

B 4

Vtpote

Vtpote materia, q uæ sit cereuisia rara,
 Cocta, nam crassam lædere posse putes;
 Aut lympha: quòd si regionis more licbit
 Vti fortè minus, deficietq̄ tibi:
 Vina iuuent, nimium quæ non sunt aspera, quorū
 Vel vires frangens, diluat vnda prius.
 Hæc etenim, vinum quæ premia iusta sequuntur,
 Accipe: rubigo dentibus incutitur.
 Lumina fuscantur, vires tenuantur & acres,
 Mens stupet, atq̄ genæ (prò dolor) inde fluunt.
 Vtq̄ semel dicam, verbo soloq̄ recludam,
 Ante diem senium, teq̄ senecta premunt.
 Si capies forsan, bibiturus, pocula, mansum
 Deglutito prius, docte puelle, cibum.
 Ni prius absterfis, os tangat pocula, labris,
 quod tibi mantili, linteoloue licet.
 Si sua, præsertim, quis pocula porrigit, aut si
 Ex æquo mensæ pocula cuiq̄ patent.
 Intorto quenquam nec, si bibis, aspice vultu,
 Libera mens mores hosce refellit enim:
 Neue tuum flectens in dorsum lumina: longis
 Hoc faciant collis, ardea, grusq̄, suis.
 Siue facit tali quæ more ciconia: namq̄
 Dedecet hoc: vacuus nec tibi fundus erit.
 Si tibi propinet quisquam, faustum esse preccatus,
 Amoto cyatho, finge bibisse, puer.
 Qui si rusticius te forsitan vrget, adultum
 Te responsurum dicito, liber eris:
 Nonnullis mos est, vbi vix sedere, voraces,
 Vt lanci iniiciant absq̄ rubore, manus.

Illud

Illud edax faciat lupus, aut qui deuorat illas
Carnes, quæ crudæ ex chytrapode ueniunt.
Ne primus continge cibum, namq; arguit illud
Non solùm te auidum, sed grauiora, fuge.
Namq; cibum quòd si feruentem sumpseris, ore
Et si de glutis, sit tibi adusta gula.
Ridiculus fias alijs, uel si expuis illum,
Hinc miser, hinc alijs fabula, utroq; miser.
Interpone moram, affectus moderabere tandem,
Imperio crudos subijciesq; tuo.
Noluit hinc, calicem, Socrates gustare, priorem,
Cratera & primum tangere sustinuit.
Cum grauibus si fortè uiris accumbere iussus
Sis puer, in patinis ultimus esto, decens.
Nec tamen intingas digitos, mergasue (pudèdū est)
Illud enim miræ rusticitas erit.
Cultellus tollat quod uult, uel fuscina: toto
Nec tamen id disco colligat ad placitum.
Sed quod sese offert, illum quodq; ante iacebit,
Quod uulgare minus, proximus accipiat:
Vtq; liguritor meritò dicendus abundè
Quæq; uagabundus qui loca lancis obit.
Intempestiuus sic is, quem inuertere lancem
Non pudet, ut lautos colligat inde bolos.
Quòd si forte cibum lautum tibi porrigit alter,
Comiter excusans fume deinde tibi.
Portio seruetur tibi, quod reliquumq; manebit,
Qui dederat tibi uel proximus, accipiat.
Quod digitis sumi uitium est, hoc excipe quadra,
Nam liquidum digitis dedecet excipere.

B v Arte

Artocream si quis, liquidā obtuleritūe placentam,
(Hancq; tibi coclear porrigit) accipito,
Sed quadra, aut coclear porrectum fume, ciboq;
Inverso in quadram, fit cocleare redux.
Si liquidi quicquam gustandum traditur, illud
Accipe, post, tersum fit cocleare tibi.
Mantili id præstes, uel mappa inferuiat, omnis
Non etenim regio moris habebit idem.
Ore, decens, unctos digitos prælingere, quisquis
Afferit, aut tunica tergere, uel manibus:
Ense suo se se iugulat, nam rusticus esse
Audit: mantile his, mappæue sufficiant.
Neue bolos plenos subito, ueluti balathrones,
Degluti, turpe est, idq; ciconiacum.
Si quis forte cibum scindat, ne porrige quadram,
At dextram, nisi sit qui prius obtulerit.
Ne uideare, alij quod erat fortasse paratum,
Præcipere: hoc faciat rusticus agricola.
Sume tribus digitis, quicquid tibi porgitur, aut sit
Exceptum quadra, docte puelle, tua.
Offertur tibi quod, stomachum si læserit, illud
Ne dic, non possum (comicon) esse ualet.
Sed blandè grates agito: si fortius instet,
Ac magis inuitet, dicito te saturum.

Ratio secandi.

Scindendi teneris modus est discendus ab annis,
Aptus: sit procul hinc anxia cura nimis.
Namq; alio perdix, capus, cratisq; secantur
Præcepto, ceruix, phasias ales, olori:

Armus.

Armus, anas alio: Sed quid prolixior esse
Pergo: sunt alijs ista docenda locis.
Abradunt aliqui quicquid placet, hincq; uoraces
Sic debent merito dicere esse lupi.
Ne femesa cui dones, nec mergito panem
In ius prærosum: hoc rustica turba facit.
Neue cibum mansum de faucibus exime, quadræ
Imponens: quemuis dedecuisse sciens.
Nam si quid sumptum est, quod deglutire cauebis,
Auerfus quoquam proijce, clam faciens.
Ambesum neposce cibum, quadræue reposta
Ossa: puer namq; hoc non facit egregius.
Ossa, aut quod simile est, mensâ ne proijce subter,
Aut patinæ caucas imposuisse tuæ.
Angulus hæc quadræ excipiat, uel discus adaptus,
Qui pro relliquijs positus esse solet.
Contrectare canes peregrinos. turpe putabis,
Nec minus, in mensa his distribuisse cibum.
Vnguibus haud oui testas, vel pollice purges,
Aut lingua hoc faciens sis quoq; ridiculus,
Muneris hoc faciet culter, verum aptius ossa
Si rodas, canibus portio detrahitur:
Hosq; refers simili tu consuetudine: cultro
Id fac, sic magnos inter honestus eris.
Sal tribus excipies digitis si forsan, agrestis
Esto, sic faciunt qui uaga rura colunt.
Cultello excipias recte, si longius absit,
Oblata, haud credas, poscere, turpe, quadræ.
Sit felium quadræ, patinam vel lambere, adhasit
Melliti quicquam quando, vel alterius.

Disci

Discissam prius in quadra, sectamq̄ minutim
Carnein, quam sumpto, mandere, pane decet:
In stomachum mittas: sed festinanter id ipsum
Ne fac: ciuile est, idq̄ salubre magis.
Non nullos uideas, qui turpi more latronum
Absumunt escas, sedulitate graui:
Ceu mox carceribus diris sint excipiendi,
Hoc faciat lurco: tu fuge tale, puer.
Sunt qui sic buccas onerent, ut follibus illas,
Quam buccis, similes dixeris esse magis.
Mandendo quidam, diductu fortè laborum,
Consuèrunt sonitum reddere, more suis.
Nonnulli studio spirant, animoq̄ uorandi,
Naribus: à puero quod procul esse decet.
Ne bibe, neu quicquam pleno sis ore locutus,
Dedecet, ac tutum credito id esse minus.
Fercula misceri debent sermone, queas ut
E sum, colloquio, rumpere continuum.
In potu, aut esu, datur intermissio nulla
Nonnullis, fameant, nec sitiant tūc licet:
Sed quòd difficile est aliter gestus moderari,
Aut dentes scalpunt, uel caput usq̄ fricant.
Cultello aut ludunt, manibus uel gesticulantur,
Aut tussire solent, uel spuere, ore screant.
Rusticus hoc docuit pudor, aut insania mera,
Quod grandè decet haud: te minus ergo, puer.
Fac auscultandis fallas sermonibus ægra
Tædia, si fandi copia nulla datur.
Est, meditabundum, deforme accumbere mensæ,
Hoc etenim corpus, ingeniumq̄ grauat.

Nam

Nam uideas quosdam sic in mensa esse stupentes,
Auditus ceu si sit spoliatus eis.
Ut se se ignorent esum, uel sumere potum,
Neue alijs dictum quid fuit, accipiunt.
Hi, quod si proprio uocitantur nomine, somno
Tanquam experrectos dixeris esse modò.
Sic sunt attoniti, sic est in lance uoluntas,
Ac animus: uentrem sic faciuntq; Deum:
Sit circumiecto visu obseruare, pudoris,
Quem capiat mensa, & cernere quisq; cibum.
Nec, conuiuiarum in quenquam defigere longum,
Esto decens, oculos: hirci & abeste procul:
Turpe magis, capite in tergum spectare retorto,
Quid factum in mensa forsitan altera erit.
Effutire foris caueas, quæ dicta, uel acta
In mensa fuerint: postulat hæc probitas.
Cum grauibus puer accumbens, ne fare, rogatus,
Vel iussus, ni sis, resuè requirat idem.
Arridens lepidè dictis, dicèris honestus,
Obscenè ast, animum dedecet ingenuum.
Attamen haud frontem, grauior si mouerit illud,
Contrahe, & audisse hæc dissimulato, puer.
Fœmineo in sexu laudare silentia iustum est.
Hunc, eadem obseruans, uincis honore, puer.
Respondent quidã, quàm cesset dicere, priusquam
Is, qui compellat, uerbaq; cæpta sinat.
Sæpe ut reddentes absurda, alienaq; dictis,
Fabula sic fiant, sint alijsq; iocus.
Et uulgare in eos quadret dictum,
Græcorum ueluti fabula trita docet.
Stultum

Infanit totus, vires nam corporis illud
Eneruat: foelix hoc grauat ingenium.
Ergo puer teneris moderatum discat ab annis,
Nec satur omnino corpus habere velit.
Quin magè se crebrò foueat, quàm sumat abundè,
Idq̄ mali prudens vitet, & effugiat.
Ventriculum veluti quidam distendere pergunt,
Ut faturos sese non satis esse sciant:
Ni se conijciant in tanta pericula, venter
Ut crepet, aut vomitu (turpe) relaxet onus:
Oderunt pueros, qui cœnas ducere multam
In noctem, mensæ accumbere quiq̄ sinunt.
Ergo cœna, puer, si te proluxior vtget,
Discedens, quadram, relliquiasq̄ cape.
Sed prius esto memor, primati fausta precari,
Conuiuiscq̄ alijs: moxq̄ redito tamen.
Ne lusus causa te subduxisse puteris,
Alterius spurcæ vel magis ergò rei.
Si quid opus fuerit, mensæ seruito reuersus,
Aut assiste libens: te, puer, ista decent.
Apponis mensæ, vel si quid sumis ab illa,
Obserua ne quem pinquia iura linant.
Muncturus, mensæ candelas excipe, statim &
Excrementa tuo protere calce, puer.
Vicinae immergas aut (his quæ quadrat) arenæ,
Naribus officiat ne malè gratus odor.
Si cui quid fundis, vel si quid porrigis, illud
Læua si facias, turpe putato tibi.
Iusus vbi grates fueris persoluere Christo,
Compositis pronum gestibus esse vide.

Conuiuiscq̄

Conuiuiscq̄, illas si quando, silentibus adfit
Dicendi tempus: temporis adde moram.
Interea uultum ad primatem uertito mensæ,
Hunc & constanter intucare, puer.

DE CONGRESSIBVS

Occurat si fortè uia senio uenerandus
Quiaquam, aut ob titulos, dignus honore, suos,
Aut aliàs qui sit reuerendus religione,
Esto puer memor huic mox aperire caput.
Et capta discede uia, cui poplite flexo,
Exhibeas meritum, quod decet esse decus.
Hoc nec uolue animo, mihi quidnam cū peregrino,
De me uel nunquam qui bene promeruit
Iste Deo celebratur honos: mortalibus, aut non
Illorum meritis, reberis hoc tribui.
Iussit enim sapiens (ex Christo) assurgere canis,
Hæc eadem Paulus præcipit, atq; docet.
Qui duplicem senibus præstari mandat honorem,
In summa, & cunctis, quando merentur eum.
Ethnicus ille licet fuerit, siue imperet atrox
Nobis, imperio aut Turca cruentus agat:
(Quod Deus auertat) iustum debemus honorem
Iure magistratus quem sibi quisq; petit.
Subticeo, qualis debetur utriq; parenti,
qui à Christo primum uendicat, & merito.
Sitq; nec inferior, qui mentes format, habendus
Præceptor, partes qui genitoris agit.

Præcepto

Præcepto & Pauli, æquales se vincere honore
Conetur: fratri & cedere quisq; suo.
Æquali cedas tibi, si vel honore minori,
Nil tibi detrahitur, sed tibi crescit honor,
Cum te maiori paucis, uerecundaq; fare
Verba, sed æquali comis, amanq; tibi:
Pileolum læua teneas, si quando loquaris,
Sitq; vmbilico dextera mota tuo.
Quodq; magis deceat, manibus tu contege vtrifq;
Pubem: sed pollex extet vterq; simul.
Sit pudor axilla, librum, aut gestare galerum,
Illud enim miræ rusticitatis erit.
Adsit qui decoret pudor, attonituq; recedat,
Qui cum verba facis, contuearis eum.
Ast oculis placidis, hilariq; ac simplice vultu.
Quiq; procax nihil, aut improbitatis habet.
Lumina defigens in terram, conscius esto
Non rectè ille sibi, quod catoblepa facit,
Auersantis erit, transuersim si tuearis,
Si vultum huc, illuc, voluis, habere leuis.
In varios habitus vultum mutare pudebit,
In rugas nasum nec quoq; contrahito.
Neue supercilia attollas, aut contrahe frontem,
Ne distorta tibi sint quoq; labra, puer.
Os & diductum modò, vcl pressum esse, cauebis,
Protheos ingenium, si facis illud, habe.
Iactare & pudeat, concusso vertice, crines.
Et tussire caue, sit nisi causa tibi.
Ne screeas, caput aut scalpas, ne mungito nasum,
Ne scalpas aures, ista pudoris erunt.

C

Ne addu

Ne adducas humeros, vultum mulcere pudebit,
Parte uelut tergi debeat hacce pudor.
Concussaue neges, adducta accersito fronte aut,
Esto pudor, nutu, gestibus atq̄e loqui.
Brachia ne iactes, digitis nec gesticuleris,
Fungatur proprio munere lingua suo,
Atq̄ loqui toto, per gestus, corpore, noli,
Hoc faciat turtur, vel bene pica loquax.
Non clamosa tibi, sed vox sedata placebit.
Et mollis: loquitur vulgus agreste graui:
Tam pressè haud loquitor, ne non intelligat ille
Cui loqueris: media voce loquare probe.
Ne sit sermo tuus præceps, nec præuolet ipsam
Mentem, explanatus, sed quoq̄ lentus, eat.
Nam tibi si linguam balbam natura creauit.
Hanc poterit lentus tollere sermo tibi:
Mitigat aut saltem: nam sermo præcipitatus,
Quod natura prius non dedit, accumulatur.
Dum cui colloqueris, titulum memor esto subinde
Illius exprimere, ac illud honoris erit.
Nil patris, aut matris superabit nomen honore.
Dulcius ac aures nil magis exhilarat,
Fratris amabilius nil nomine, nilq̄ sororis:
Ergo puer proprio nomine quemq̄ voces.
Quòd si te fugiunt tituli, patres reuerendos
Appelles monachos, quiq̄ sacratus erit.
Sint præceptorum recto tibi iure colendi,
Palladias artes qui coluere sacras.
Æquales, fratris titulo, vel nomine amici.
Ignoti, ignota & sint domini, & dominae.
Turpiter

Turpiter ore tuo discedat iniurandum,
 Seria seu res sit, seu iocus, esto, puer.
Quorundam siquidem quid turpius esse putabis
 More, deum, verba ad singula, qui repetunt.
Per panem, vinum, candelam, nescio per quæ
 Iurantes: vitio huic esto medela, Deus.
Aures obscenè dictis, ne præbeat, aut ne
 Adiungat linguam, qui bene cultus erit.
Deniq; quod nudas oculis deformiter, illud
 Turpiter eximijs auribus ingeritur.
Vt membrum appelles si tū cogere pudendum,
 Hoc aptè circum (crede) locutus eris.
Rursum si casu narrabit forsitan vllus,
 Vnde auditori nausea parta fiet:
Sarcina ceu ventris, vomitus, turpis ue clōaca.
 Præfetur: placidis auribus adsit honos.
Forte refellendum si quid, falsumq; putabis,
 Dicere, sunt falsa hæc quæ modo dicta, caue.
Præfatus pacem (natu si grandior ille est)
 Sed dicas: res est ista relata secus.
Ingenuo celsset puero contentio quæuis,
 Etate æqualis sit, tituloque, licet.
Quin, magè si forsan veniant ad iurgia, verba,
 Cede puer, saluo sed tamen arbitrio.
Ne cui te præfer, tua vel iactare caueto,
 Quod quisquam instituit, carpere, turpe putes.
Ne populi mores peregrini spernito, neue
 Ingenium: creditum nec tibi ferto foras.
Rumoresq; novos caueas dispergere: vitam
 Rodere & alterius, vel lacerare, probam.
 reliquos C 2 Expro

Exprobratio aut vitium reuoca, nec deprime, constat
Naturam prius hoc quod genuisse deam.
Illud inhumanum nam non duntaxat habetur,
Ast etiam stultæ conditionis erit.
Ceuius luscum, luscum : ceuius strabum, nomine strabum;
Loripedem, vocites nomine loripedem.
Inuidiam citra, hac ratione parabis amicos,
Atq; tibi laudem conciliare potes.
Dedecet & turpe est interpellare loquentem,
Sermonem captum quam recitare finit.
Sis cuius facilis, pariter sis comis in omnes,
In nullum hostilem concipiasq; animum.
Attamen interior (delectus is, vnus, & alter)
Esto, satis tutò fidere cui valeas
His ne crede tamen, quæ vis secreta manere,
Cognoscis linguam mobile namq; malum.
Ridiculum siquidem est, aliena silentia velle,
Dum linguæ nequeas addere frena tuæ.
Nemo tamen linguæ sic creditur esse tacentis,
Et mutæ, Pyladi quin quoq; Orestes erit :
Abdita cui mentis, sua vel secreta reuelet,
Arcana ac animi transferat ipse sui.
Securum tamen est magè nil, admittere quam nil,
Cuius te pudeat, si proferatur idem.
Ne te sollicitent aliena, taceq; decenter,
Audis, aut si quid conspicias alterius.
Et quod scis, hoc te simules nescire, doceris
Afrî vt perpulchro dogmate, & ingenio,
Quod si oblata alij sit forsan epistola, limo,
Sit tibi dedecori, lumine conspiceret.

Aut

Aut sua si coram referat te serinia quisquam,
Te subduc, vitio nam datur inspicere.
Inciuite tamen multò magis esse putato,
Si quid contrectes, accipiasue manu,
Aut si colloquium secretius inter oriri
Tu sentis quosdam, dissimulanter abi.
Colloquijs nec te commisce talibus, antè
Accitus (pudor hic) niq̄ rogatus eris,

DE LVSV.

In lusu ingenuo, te præbe hilaremq̄, alacremq̄,
Nec mendax ibi sis, sit procul atq̄ dolus.
Maiori laude is vincit, qui iurgia vitat,
Quàm palmam quando his obtinet, & superat.
Si res arbitrijs forsan committitur, audi,
Nec contradicas, iudiciumq̄ subi.
Fortior in lusu si vincas inferiore,
Hunc semper dextræ & viceris arte prius.
Te submitte, magis quò ludus ferueat, huicq̄
Palmam concedas, qui modò victus erat.
Colludens rudibus, vel te inferioribus arte,
Ne sis, ceu fueris fortior, hisq̄ prior.
Est animi causa ludendum, spesq̄ lucrandi
Cesset: scurra leuis sic sua dilapidat.
Cognoscas animum in lusu, mentemq̄ puelli.
Seu claro nati sanguine, siue secus.
Ad rixas igitur, fraudes, mendacia, ad iram
Procliuis, vel qui mente superbus erit.

JJA

C 3

Ingenium

Ingenium prodit peruersa mente puellus,
Naturæ & vitium hiuc emicat, atq; patet.
In lusu quare similis puer esto, geratq;
Semper, ceu mensa se gerit ingenuus.

DE CVBICVLO.

In lecto tacitum, verecundum teq; cubili
(Clamor vbi celsset, gurrulitasq;) gere.
Seu surgis, vel te siue exuis, esto pudoris
Semper amans, Christi sisq;, puelle, memor.
Nec quid denudes oculis, natura quod esse
Tectum, legitima cum ratione, cupit.
Vtere communi si lecto, siq; sodali
Condormis, studeas esse quietus ibi.
Corpore nec verfes temet, iactesq;, molestus
Ut sis, & nudcs, teq;, tuumq; simul.
Nec prius ad somnum temet componito, quam si
Frons signata crucis, pectus &, indicio.
Deinde breuis Christo sit fusa precatio, cui te
Commendes, nox vt sit tibi prosperior.
Lumina vel redeunt quando Phaëtontia terræ,
Hoc idem præstes, surgere quando paras.
Auspicio poteris nam fausto nil magé, Christo
A domino, cæptus quàm tibi si labor est.
quando relaxasti ventrem, nil aggrediaris,
Ni mauius lotis, ore, oculisq;, prius.
Contigit ingenuis quibus esse parentibus ortos,
Et claris, nasci vel magé prosperius.
Turpe

Turpe suo generi non respondere, putabunt,
Moribus inq̄ malum degenerare suis.
Sed quos plebeios voluit fortuna, humilesq̄,
Compensent, quod fors denegat, ingenio.
N. mo sibi patriam, quam vult, nemoq̄ parentes,
Deligit, ingenium at fingere quisq̄ potest.
Præceptum, primos (Colophonis nomine) partes
Quod tenet, accipias, atq̄ reconde sinu.
Pars est ciuiles inter pulcherrima leges,
Si non delinquas, non nimis esto grauis.
Ac alijs toruus censor, ne ignoscere differ,
Parcere dum docuit Christus vbiq̄ suos.
Obq̄ id nec charus veteri minus esto sodali,
Quod si inconditis moribus ille fiet.
Sunt etenim plariq̄, rudes qui vincere mores
Possint: compensant dotibus hosq̄ probis.
Imprudens si fortè tuus peccarit amicus,
Et socius, nec sit res tamen illa leuis:
Solutus dum fuerit, blanda sed voce, memento,
Ut deinde abstineat, tuq̄ preceris eum.


EPILOGVS.

Hactenus, imparibus numeris quæ scripsit Erasmus,
Et de concinnis moribus erudijt.
Nostra rudis cecinit, pedibus sed, Musa, coactis,
Et stricto iusulse iussimus ire pede.
Quæ si legeritis magno, vigiliq̄ labore,
Discipuli, menti commoda multa ferent.
Addentes animum timida, quæ grandia, Musa,
Scribere contendit: si iuuet Omnipotens.

[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]

ro
la
ua
ia
lo
m
L
au
an
m
au
h
t
ra
a
ua
co

ro
lai
ua
ca
lo
n
L
au
.
an
n
au
hy
p
ro
ra
ua
ba





Præsentis si non an
Hanc discinde:
Arguit hoc stultun
Nobilibus, greg
Ergo modus quale
Sit tibi: primatu
Conformis patriæ:
Obserues: factu
In teneris quadrat,
Nos tamê immu
Interulam, aut ueste
Vrinæ, aut nasi,
Sunt quibus alteru
In tergum ad re
Corporis utq̄ habit
Compositum, m
Egregia si te dotâr
Inflexis oculis h
Gaudensq̄ ostentes
Aspicit, idq̄ faci
Quo fortuna tibi sp
Semper amabilic
Hoc inopes faciant
Inde sibi, ac men
Siq̄ sui ostentat spl
Inuidiam conflu

DE M
IN

r esse,
licoloris erit.
Simia tale,
amulantur, erit.
iuitiarum
locus
unditiemq̄
fuge.
ctior, annis,
olumus esse genus.
fpergine tingas
è linas.
ependet in armū,
q̄ alijs.
undum esse, decetq̄
ruat ille suis.
entes,
aue.
uo superbus
e suo.
r, hoc sis
omplaceas.
tia dantes
are queant.
es, amictus,
t illum inopi.

IBVS

Esto

